



W. K. i.


Handwritten text in the right margin, possibly a list or index, written vertically.





















15 3672



PRÆCEPTA
VITAE HONESTAE

ET LAUDATAE, BREVITER ET
commode pronunciata à septem

praestantiss. Viris, qui cum uno tempore

in Grecia uiuerent, & habiti

& uocati fuere

SAPIENTES,

Opera

Leonharti Lycii

Latine uersa & breuiter
explicata.

HIS

Adiunctus est libellus Dionis Prusaensis
valde utilis & bonus, de non
temere credendo,

A

IOACHIMO CAMERARIO
uersus & explicatus.

Σοφία μόνη τῶν κτημάτων
ἀθάνατος.

LIPSIÆ.

M. D. LXII.

LEONHART. LYCIUS
INGENVIS PVERIS.

CVI dono aureolum dabo libellum,
Tot gemmis radiantibus refertum?
Vobis ingenui, dabo, puelli:
Ornatus decet hic bonis dicatos
Musis, ingenuæq; disciplinae.
Ornatus teneris habendus annis,
Ad uitæq; gerendus usq; finem.
Donum ergo accipite, atq; diligenter
Vsurpate meum: magis nitefcit
Et multo preciosius fit usu.
Sic Christus Deus ac homo, puellos
Qui in primis amat & fouet, tuetur
Conatus prouehat iuuetq; uestros,
Et laudem sibi comparet perennem
Per castæ bene dicta facta uitæ.

ILLVSTRISS.
PRINCIPI AC DO-
MINO DOMINO ALEXANDRO
Duci Saxonix, Landgrafio
Duringie, Marchioni Misnie,
Illustris. Principis Augusti
Principis Electoris, &c. filio,
Administratori Mersbur-
genfi, &c. Domino
fuo clementis.

LEONHARTVS LYCIVS

S. P. D.



TSI RATIONES ET
præcepta nostris homi-
nibus deesse non viden-
tur, quibus ab ineunte
ætate, ad honestam &
laudatam vitam egregie erudian-
tur: operæ tamen precium factu-
rum me putavi, si quæ ab antiquis.
Græcorum tradita essent bene bea-
teq; viuendi præcepta, & ab omni
A 2 poste

posteritate propter commoditatem
laudata, ea Latine studio meo versa
& in publicum usum edita ad alio-
rum qualiumcunque cumulum tan-
quam auctarium adijcerem. Nam
quod præclare à Platone dictum
perhibetur, οὐδ' εἰς κόρη τῶν καλῶν,
id hanc vim habet atq; sententiam,
vt non tam alijs de rebus bonitate
quadam præstantibus, quàm de ex-
posita salutarium subiectionum co-
pia vsurpari posse videatur, ita ut ta-
lis hæc esse statuatur, quæ non tan-
tum facultatem suppeditet vniuersis
eligendi vitæ & morum quasi regu-
las: sed quæ etiam inuitamenta quæ-
dam complectatur, quibus homines
præsertim à natura bene instituti,
ad colendum officium excitentur.
Quamuis autem in hoc libello, quem
hunc ad modum concinnatum, &
puerili institutioni accommodatum,
in publicum emittendum esse sta-
tui, sententiæ quædam inculcantur
non magni ponderis, & dicta per-
quam vulgaria, vt sepe preciosæ mer-
ces

ces impostura quadam farciuntur,
nullam aliam ob causam, quam ut
grandiores conspectioresque reddan-
tur: De plerisque tamen illorum ve-
rum est Platonis gravissimi auctoris
iudicium, qui affirmat, ὅτι τοιαύτα
οἰόντ' εἶναι ῥήματα φθέγγεωδ' τελέως πεπρα-
δουμένης ἐς τὸ ἀνθρώπου. Quinetiam an-
tiquitas, ut est memoriae proditum,
adeo magni fecit iudicio suo præ-
cepta nonnulla, quæ hic recitantur,
διὰ τὴν βραχυλογίαν (ut Plutarchi ver-
bis utar) ὡς πυκνὸν καὶ σφυσήλατον ἔργον
ἐν ὀλίγῳ περιέχον ὄγκῳ. ut templo-
rum valuis incisa sub aspectum ho-
minum sempiternum subiicienda es-
se existimaret. Sed alibi legimus,
ipso auctores qui & habitati & vocati
fuere sapientes, quasdam sententias
velut primitias sapientiae in parietibus
templi Delphici à se exaratas
posteritati consecrasse, De quorum
auctorum numero atque nominibus,
vetus est, & ut videtur inexplicabi-
lis controversia. Plerisque tamen ve-
terum scriptorum septem numerant

A 3

& vsq;

& vſitatis ferè nominibus, niſi quod
Periandri loco, quem & tyrannidem
in patria exercuiſſe conſtaret, & ne-
ſcio quæ ſcelera perpetrade, quidam
Myſonem nominant Chenenſem,
aliſ Epimenidem Phæſtium. Cur au-
tem ſeptem adeo fuiſſe exiſtimen-
tur, quorum nomina vulgo celebra-
tur, eius rei hanc eſſe cauſſam proba-
bile eſt & veriſimile, quod, cum vno
tempore in comuni Græcię patria
viuerent, omnesq; præter Mileſium
Thalem ciuitatibus ſuis præeſſent,
cum alia ſingularis ſapientiæ docu-
menta dedere, tum quod controuer-
ſiæ ortæ de cortina aurea ex mari à
piſcatoribus Mileſijs extracta pul-
cerrimum colophonem addidere.
Cum enim ſopita tandem contenti-
one piſcatorum & eorum qui iactum
emerant, vni de numero ſapientum
quem Thalem fuiſſe perhibent, men-
ſa illa honorarij loco fuiſſet oblata,
uel quod inſcriptum illi eſſet, Detur
ſapientis. vel quod oraculum ei at-
tribuiſſet, qui præſtare alios ſapientia

tia iudicaretur: Thales autem do-
num, quod putaret mediocritati suæ
non congruere, ad Biantem trans-
misisset: hic verò eadem usus mode-
ratione ad alium deferri iussisset,
itaque ordine quodam singuli mode-
ste illo à se translato in caussa fuif-
sent, ut ad primum remitteretur: ille
attentius considerata vel inscriptio-
nis vel oraculi sententia, consecrauit
aurum Apollini Delphico, quod ex-
istimaret Sapientia diuinę eam esse
excellentiã, qua cum illa quæ ho-
minibus solet contingere, exæquari
nullo modo possit. Ex eo igitur
tempore celebrari cœpisse nomina
illorum virorum, vt qui omnium ha-
berentur sapientissimi, cum singuli
cortinam auream modeste à se re-
mouissent, atque eorū vnus Deo eam
adiudicasset, verisimile mihi vide-
tur. Alia quæ de singulorum vita &
moribus rebusque gestis commemo-
rantur, digna illa quidem sunt quæ
diligenter cognoscantur: sed quia
sunt in medio exposita accurate à

Diogene Laërtio, inde potius discenda, quàm hoc loco recitanda videntur. Visum autem mihi fuit libellum hunc tenuem quidem & exiguum, sed utilem tamen, ut spero, & accommodatum ætatis puerilis institutioni, peculiariter ad te mittere, Alexander Princeps illustris. simul ut illustris. clementiæ tuæ probarem voluntatem & studium meum, quod tale esse debere arbitror, ut commodis Reipub. quacunque fieri potest ratione inseruiendo, optimis & præstantissimis quibusq; probetur: simul ut opellam ipsam studij mei hac dedicatione commendatiorem redderem ingenuis pueris, quos non solum optimis rationibus ad pietatem honestatemq; informari necesse est, sed etiam linguæ vtriusq; cognitione imbui includente omnia tradita & præcepta pietatis sapientiæ decorisq; & virtutis. Neque mihi dubium est, quin illustris. clementia tua officium & factum hoc meum non modo bonam in partem sit acceptum

acceptura, sed ex ipso etiam libello
aliquid utilitatis perceptura, quod
ita fiet, si quæ sapienter in eo mo-
nentur & recte præcipiuntur, ea &
libenter cognoscere & studiose vo-
luerit præstare. De quorum utroque
quia & egregia indoles illustris. cl.
tuæ & accurata qua utitur discipli-
na recte sperare nos iubent, Chri-
stum precor, τὸν σωτῆρα, qui dicit, Si-
ne me nihil potestis efficere: ut &
conseruare illustris. cl. tuam velit,
& adesse ei Spiritu suo sancto, ut stu-
diorum eiusdem omnium conatus
fortunentur, atque dirigantur ad au-
gendam diuini nominis gloriam &
ad afferendum Reipub. Chri-
stianæ incrementa, Amen.

Lipsiæ prid. id. Aprilis,
anno salutiferi par-
tus Christi,

M. D. LXII.

S E P T E M
G R A E C I A E S A P I -
E N T V M A P O Φ Θ E Γ Μ Α Τ Α , H O C

*est, commodæ ac breues sententiæ concin-
nâq; dicta & rotunda, Collecta à*

DEMETRIO PHA-
L E R E O .

Atq; magno iam cumulo aucta
& accurate conuersa à

LEONHARTO
L Y C I O .

I.

CLEOBVLVS

Euagoræ F. Lindi-
us dixit hæc.

MEDIOCRITAS res est pulcherrima.
Patrem reuerere. Fac corpore valeas &
animo. Audiendi potius sis cupidus quàm
loquendi. Malis studiosus esse doctrinæ quàm ab
hac alienus. Linguam benedicam habe. Virtuti
adiunctus esto, & à vitio alienus. Iniustitiam ode-
ris. Pietatem præsta. Ciuibus optimorum consi-
liorum autor esto. Linguam fræna. Per vim ni-
hil age. Liberos institue. Fortunam à Deo opta.
Inimi-

Inimicitias dissolue. Hostem populi inimicum tuum
puta. Cum vxore nec contendas, nec comis
sis erga illam alienis presentibus. hoc enim de-
mentiam, illud insaniam significat. Seruulos ebri-
os non castiga, ne videaris & ipse ebrius esse. Vxo-
rem ducito de æqualibus. Si enim de præstantio-
ribus duxeris, dominos non affines habebis. Ne
irrideas eos qui dicteris incessuntur. eris enim il-
lis inuisus. Cum abundas ne elato, cum eges ne
abiecto sis animo.

aut vehemen-
ter amat vel
te caput: ter
adit.

Addita.

Barbaria uerborumq; multitudo nimio plus
ualet inter homines, sed oportunitas proba-
tur. Cogitatores præclaras. Ne sine caussa sis in-
gratus. Filie etate quidem uirgines nuptum sunt
locandæ, intelligentia uerò mulieres. Beneficia
amico danda, ut magis fiat amicus, & ex inimico
faciendus amicus. Nam & ab amicorum uitupera-
tione, & ab inimicorum insidijs est cauendum.
~~Antequam domo exeat, quid facturum sis cogita, rur-~~
~~sum cum domum ingrederis, quid egeris.~~ Fortune
mutationes fortiter ferre discas. Leges sapientibus
modum præscribunt.

II.

SOLO

Execestidæ F. Atheni-
ensis dixit.

Ne



NE quid nimis. Iudex ne federas, quod nisi
caueris, odio eris damnato. Voluptatem fu-
ge, quæ mœrorem parit. Morum & vitæ
honestatem conserua, quæ ad fidem faciendam
plus valet, quàm iusiurandum. Sermones arcanos
silentio, silentium opportunitate obfigna. Ne
mentiaris, sed vera loquere. Meditare honesta &
egregia. Parentes ne iure quidem vincas. Ami-
cos ne facile pares, quos verò pararis, ne facile re-
pudies. Parere imperio cum didiceris, imperare
scies. Quam alios poenam vis luere, eam ipse quoq;
sustine. Ciuibus non iucundissima sed optima da-
to consilia. Ne sis audax & temerarius. Cum im-
probis ne verferis. Dijs fretus esto. Amicos cole.
Parentes reuerere. Mentem ducem facito. Ne
quodcunq; videris dicas. Quod scis, nescias. Tuis
mansuetum te præbe. Obscura & incerta de per-
spicuis & certis conijce.

Addita.

EXitum vitæ diuturnæ specta. Terminus hu-
manæ vitæ anni septuaginta. Homo aduersis
casibus prorsus est expositus. Non est beator ual-
de diues eo qui uictum quotidianum habet, nisi ei-
dem fortuna concesserit, ut in bonorum omnium co-
pia extremum vitæ diem conficiat. Cuiusq; rei con-
siderandus est exitus, quo sit euasura. Multos enim
Deus, quibus opulentiam præmonstrasset, radicitus
euertit. Simulacrum quidem est factorum sermo,
& tamen rex uiribus præstantissimus. Aequalitas
bellum

bellum non facit. Satietas ex diuitijs nascitur, ex
satietae contumelia. Illa ciuitas optime habitatur,
in qua boni uiri honoribus, & contra improbi pœ-
nis affici solent. Similis est tyrannis pulcræ regio-
ni quæ exitum non habet. In re quaq; placere om-
nibus haud facile est. Leges similes sunt aranea-
rum telis, quæ leue & imbecillum quod incidit, con-
tinent: Si quid uerò maiusculum illabitur, fit ut ru-
ptis telis euadat. Numen diuinum & legum latores
iuuare ciuitates non possunt, nisi sint qui multitudi-
nem quouis tempore in quamcunq; uelint senti-
am deducant. Ita scilicet & Deus & leges utiles
sunt ac iuuant, si ductores boni sint, sin mali, nihil
proficiunt. Qui apud tyrannos autoritate ualent,
similes sunt rationum calculis. Vt enim horum qui-
libet iam plus significat iam minus: ita tyranni
quemuis illorum modo magnum reddunt & splen-
didum, modo abiectum & contemptum. Vide caue-
as tibi ab unoquoq; homine, ne occultum aliquis odi-
um habens in animo hilari te appellet uultu, lin-
guaq; ambiguam sententiam nigre mentis sonet.
Discenti assidue multa, senectus uenit. Quantum ui-
sus reliquis sensibus, tantum præstat prudentia cæ-
teris uirtutibus. Qui multis est terribilis, à multis
sibi metuat. Quantum arma possunt in bello, tan-
tum bona ualet oratio in ciuitate. Senectus malo-
rum portus est, ad quem omnia confluunt. Capere
consilium de sententia beneuoli amici, idem est, ac
si salutare remedium bibas ex aureo poculo. Ami-
cus

cus quem Deus alicui adiungit, mel & lac ueris ser-
monibus aspergit. Qui generum ex animi senten-
tia nanciscitur, filium adipiscitur: qui uoti compos
non fit, filiam etiam perdit. In magistratu collo-
catus, ne utaris ministris improbis. Nam quicquid
eorum aliquis deliquerit, illius culpa in te confere-
tur. Liberis arridere noli, ne in posterum fleas.
~~Raro in amici ades ingredi, ne fastidio quodam
& satietate abs te abalienetur.~~ Nolis tibi unquam
comparare amicum, qui neq; animum tuum neq;
corpus iuuare possit. Interrogatus à Cræso, quis
tibi uidetur beatus? Tellus, inquit, Atheniensis, &
Cleobis & Bito & adiecit cætera quæ uulgo nar-
rantur. Aiunt quidam Cræsum cum se mirum in
modum exornasset, & in solio desedisset, interro-
gasse Solonem, an pulcrius unquam spectaculum ui-
disset, illumq; dixisse, Gallos gallinaceos, phasia-
nos, & pauones, qui naturali nitore & incredibili
pulcritudine essent ornati. Cum interrogaretur, cur
non tulisset legem de eius supplicio, qui parentem
necasset, respondit, se id neminem facturum putasse.
Et, quo pacto homines minime ius uiolarent, Si non
minus inquit ægreferant iniurias ij, quibus nulla
quàm quibus aliqua infertur. Cum quidam diceret,
illo mortem filij lacrymis prosequente, At nihil pro-
ficis: at propter hoc ipsum, inquit ille, lacrymo,
quod nihil proficio. Interrogatus quomodo status
ciuitatis optimus esse posset: Si, inquit, ciues magi-
stratui obædiant, & magistratus legibus. Cum in-
ter

ter pocula Periander, qui animaduertat illum
assidere tacitum, rogaret, taceret ne ideo, quod uer-
ba ipsi deessent, an quod proderet nollet stultitiam:
at qui nullus, inquit stultus tacere potest in conui-
uio. Cum audisset inter pocula accinentem fratris
filium carmen sapphicum, quo ualde delectaretur,
postulauit ab adolescente, se illud ut doceret. Cum
autem quidam interrogaret, quam ob caussam tan-
tum laborem sumeret, Vt prius, inquit ille ediscam,
& deinde moriar. Percontati an optimas leges
Atheniensibus scripsisset, quas quidem acceperunt,
inquit, eas scio esse optimas. Cum palam factum es-
set Pisistrati popularitatem tyrannidis esse affecta-
tionem, neq; quisquam existeret, qui malum hoc re-
pellere prohibereq; auderet: Solo armis suis expe-
ditis & ante aedes collocatis, ciues ad ferendam
opem hortari coepit. Cunque Pisistratus misso
nuntio ab illo quaereret, qua re fretus ista ageret:
Ille, Senectute, inquit. Cum consputatus à quodam,
æquo animo ferret contumeliam, atq; hoc nomine
ab alio quodam reprehenderetur: Piscatores in-
quit, patiuntur se conspergi marina, ut gobium ca-
pian, cur hoc idem ego non ferrem, ut hominem
acquiram.. LEGES. Qui parentes non alit,
infamis esto. Similiter & qui patrimonium conui-
uijs dissiparit. Filio patrem alere, qui nullam ipsum
artem docuit, necessitas nulla esto. Qui propter
desidiam in ocio uiuit, unicuiq; accusare uolenti ob-
strictus esto. Qui cum scortis uolutatus fuerit, à
suggesto

suggesto arcetor. Tutor cum pupillorum matre non habitato. Ad quem pecunia pupillorum morte peruenit, is tutor ne esto. Sculptori annulorum retinere sigillum eius qui uendidit annulum, interdictum esto. Qui alteri unum oculum exculpserit, ei eruuntor ambo. Quæ non posuisti, ne tollas, qui secus faxit, morte multator. Princeps si ebrius fuerit deprehensus, capite plectitor. Qui in seditio- ne non alterutrius partis fuerit, ignominia nota- tor. Mœchum de medio tollere ei qui deprehendit, fas esto. Si quis mulierem liberam rapuerit & ui- olarit, centum drachmæ multa esto. Supplicium sumere de eo, à quo alius mali aliquid sit perpeffus, cuiq; licitum esto. De mortuo nemo male loquitor. Viuenti male dicens in templo, iudicijs, principijs & cum spectacula ludorum exhibentur, tres drach- mas homini priuato & alias duas in ærarium pu- blicum pendito. Corpora pro debitis oppignorari nefas esto. Donum accipere sponsum à sponsa, & sponsam à sponso nefas esto.

III.

CHILO

Damageti F. Lacedæmo-
nius dixit.

NOsce te ipsum. Inter pocula ne multa loqua-
ris, delinques enim. Liberis hominibus ne
mineris, Nam muliebres est. Ne maledicas
vicinis.

vicinis, quod nisi caueris, audies quæ tibi dolebunt. Ad amicorum cœnas lente, ad calamitates verò cito accede. Nuptias frugales facito. ~~Mortuum~~ hominem beatum prædica. Natu maiorem cole. Curiose res alienas tractantem oderis. Grator tibi fit iactura quàm turpe lucrum. Conflictantem cum aduersa fortuna ne irrideas. Potentia præditus sedatum te præbe, vt vereantur te alij potius quàm metuant. Propriæ domui bene præsto. ~~Lingua tua ne mentem anteuertat.~~ Animo moderare. Non concupisce quæ fieri nequeant. In via ne properes progrediendo, nec manum moueas inter loquendum. est enim indicium hominis malefani. Legibus pare. Affectus iniuria reconciliare: calumnia pœnam persequere.

Addita.

Obserua teipsum. Diuinationem ne oderis. Quiete utere. Viri præstantia in hoc est, ut possit rerum futurarum prouidentiam animo & cogitatione complecti. Coticula aurum probatur, ut manifestum de se det indicium: auro uerò bonorum & improborum hominum mens examinatur. Di- *mens improbi.* uitiæ improbitatis magis sunt ministræ quàm uirtutis & honestatis. Diuitiæ quid sunt? thesaurus malorum, stipendium calamitatum, sumtus flagitiorum. Iis diuitijs manifestum dedecus est adiunctum, quæ ex illiberali questu alicui contigerunt. Si sumtus facias eas in res, in quas non oportet, destitueris sumtibus quibus ad res necessarias opus est. Tantum tibi incommodi ex eo non est, si diuitijs careas, quan-
B tum

tum ex, eo si ijs quas habes male utaris, nam hoc re-
uera, ut aiunt, uitam uictu indigentem extinguit.
Fratri egreferenti quod ephorus ipse non crearetur,
cum ille esset, Ego inquit, iniuriam ferre noui,
tu non. Aiunt cum ab Aesopo interrogatum, Quid
nam ageret Iupiter, respondisse, excelsa deprimit,
depressa extollit. Interrogatus qua re modesti ho-
mines & frugi ab improbis & nequam differrent,
Bona, inquit, spe. Quid esset difficile, Arcana re-
ticere, & ocium recte collocare, & iniuriam posse
ferre. Ad quendam qui diceret, se nullum habere
inimicum, Videris, inquit, mihi nec amicum habere,
nam inimicitiae recta consequuntur amicitias, &
his coherent. Cum interrogaretur quid omnium
esset difficillimum, seipsum, inquit, noscere. Multa
enim unumqueng; caeco sui amore sibi attribuere.
Cum quidam mœreret suas miseras, Si omnes in-
quit, aliorum miseras perspiceres & intelligeres,
tuas minus egre esses laturus.

I I I I.

PITTACVS Mitylenæus.

Occasionem noueris. Quod facturus es, ne
dicas. nam si spes te frustretur, derideberis.
Rebus ad viuendum necessarijs vttere. Que
vicio vertis proximo, ipse ne facito. Aduersam
fortunam ne cui exprobres, talibus enim vindicta
diuina

diuina imminet. Deposita redde. Molestias vicinorum aliquas ferto. Proximum dilige paulum summittens te. Nec amico male nec inimico benedicas. Cur enim hoc facias, ratio nulla est. Magna vis est conscientiae. Quod praeterit certum est, quod futurum obscurum. Fida est terra, infidum mare. Inexplebile lucrum. Virtutis honestatem posside. Valetudinis curam suscipe. Ama disciplinam, modestiam, prudentiam, veritatem, fidem, experientiam, dexteritatem, societatem, studium, curam rei familiaris, artes, pietatem.

Addita.

Dimidium plus toto. Difficile est bonum esse. Necessitati ne Dij quidem resistunt. Magistratus uirum declarat. Victorias sine sanguine acquirere. Turbinem aptum & conuenientem agitato, hoc est, uxorem aequalem ducito. Tempus maxime gratum est. Honestas uoluptas iure conceditur. Virorum sapientum est, aduersa, antequam eueniant prauidere, ne contingant: fortium uero, quae acciderint, aequi bonique facere. Cum arcu & pharetra continente sagittas accedendum est ad hominem improbum nam fidum nihil lingua cloquitur ubi cor uersutam continet sententiam. Agrestium animantum pessimus est tyrannus: cicurum uero asentatorum. **L B X.** Ei, qui ebrius delinquit, duplex multa irrogator. Pecunias, quae a Craso offerebantur, accipere noluit, quod diceret se dupla habere ea, quae uellet adisse enim se bonorum fratris

fratris sine liberis defuncti hereditatem. Cum homicidam ad ipsum misissent Cumani, cognita causa absoluit reum, quod diceret, Veniam prestare poenitentia. Interrogatus quid esset optimum, Praesentem, inquit, fortunam boni consulere. Et à Cræso, quod imperium ualeret plurimum, Ligni, inquit uarij, imperium, significans leges. Cum interrogaretur à Myrsilo, Quidnam admirabile in uita uidisset, respondit, tyrannum senem. Quando inuitabatur ad coenam, non prius condicebat, quam sciscitatus esset, qui praeterea inuitati essent. Dicebat enim navigationis socium & contubernalem ignotum ferendum, cum quibus una nauigare & militare necesse esset: sed seipsum inconsiderate adiungere conuiuiis non esse uiri intelligentis. Cum interrogasset quendam, quamobrem nollet uxorem ducere, Et ille diceret, Si formosam duxero, habiturus sum communem: si deformem, poenam: Nequaquam inquit ipse, sed si pulcram duxeris, non habebis poenam: si deformem, non communem. Interrogatus, fugerent ne Deos mala facinora, Minime inquit, ac ne cogitationes quidem. Cum hospitibus praerberet conuiuium, ad illos ingressa uxor commota, mensam euertit. Cuncti hospites conturbarentur, unusquisque, inquit, uestrum aliqua premitur miseria. Qui uero ita miser est, ut ego, cum eo praclare agitur.

Beatus ille existimatur in foro.

Sed cum fores reclusit est miserrimus.

Vxor

Vxor regit omnia, mandat, semper dimicat.

Vobis dolent permulta, mihi uerò nihil.

Mitylenæ in templo scalam extruxit, alium ad usum nullum accommodatam, quàm ut esset templi donarium, quo significabat, fortunæ ad superiorem & inferiorem statum commutationem, cum fortunati quodam modo ascendere, infortunati descendere uideantur. Cum arbiter caperetur inter filium & patrem, ad filium, si iniquior, inquit, erit caussa tua, quàm patris, condemnaberis: sin æquior, propter hoc merito debes condemnari, quod contra patrem agis.

V.

THALES Milesius.

Sponde, præsto noxa est. Amicorum præsentium & absentium memento. Faciem ne fucato, sed in colendo officio honestus esto. Ne malis artibus rem facias. Ne te fermunculi committant cum ijs, quibus cum necessitudo tibi intercedit. Ne te pigeat parentibus blandiri & assentari. Ne quod dedecus in te admittas. Qualia parentibus præmia rependeris, talia à liberis tuis in senectute expecta. Difficile est, quod sit optimum nosse. Valde est iucundum, quod animo concupieris, id consequi. Detestanda res est desidia. Intemperantia mala. Molesta ruditus & imperitia. Doce & disce quæ sunt præstantiora. Non esto

B 3

desidi-

defidiosus, ne si diues quidem sis. Res tuas secundas caela inuidiae declinandae causa. Moderatione utere. Non omnibus crede. Imperans alijs tibi ipsi moderare.

Addita.

DEorum plena sunt omnia. Dij cernunt omnia. Verba probant sanam neutiquam plurimam mentem. Vnam aliquam artem discere. Vnum quiddam eximium elige. Ita enim refutabis loquaces garrulorum hominum linguas. Antiquissimum est Deus, quia nunquam esse coepit. Pulcherrimus mundus, opus enim Dei est. Maximus locus, capit enim omnia. Velocissima mens et cogitatio, nam per omnia discurret. Robustissima necessitas siue fatum, superat enim omnia. Sapientissima tempus inuenit enim omnia. Communissima spes, nam quibus aliud nihil est, ijs haec superest. Vtilissima uirtus, nam etiam alia reddit utilia, si bene ijs homines utantur. Nocentissima est uitiositas, nocet enim bonis etiam, si attigerit. Quod naturae instinctu fit, facillime fit. Vnde colligimus uoluptates non esse prorsus secundum naturam, cum saepe homines satietate illarum afficiantur. Dicenda sunt probabilia, incerta et inexplicabilia tacenda. Inimicis fides de rebus etiam fide dignis habenda non est: amicis credendum etiam si minus certa dixerint. Cum urgeret eum mater, ut uxorem duceret, Profecto nondum tempus est, inquit. Deinde illa iterum instantem, cum iam senesceret, tempus inquit iam amplius non

non est. Cum interrogaretur quamobrem in ætatis
flore liberis operam non dedisset, Quia nolui, in-
quit, uitam meam molestijs sponte accersitis quasi
despondere. Cum uellet ostendere Philosophum fa-
cile pecuniam facere posse, postquam scientia qua-
dam animaduertit olearum ubertatem fore, condu-
xit oliucta & quamplurimum contraxit pecuniæ.
Aiebat se trium rerum causa gratiam habere for-
tune, primum quod homo natus esset, non bestia:
Deinde quod uir, uon mulier: tertio quod Græcus,
non Barbarus. Mortem nihil à uita differre dice-
bat. Quodam autem obijciente, cur igitur non mo-
reris? ob hoc ipsum, inquit, quia nihil inter hæc in-
terest. Cuidam sciscitanti, utrum prius extitisset,
nox an dies: nox inquit uno die prior. Cum inter-
rogaret eum quispiam, an lateret Deos homo faci-
ens aliquid sceleris, At nedum cogitat quidem, in-
quit. Ad mœchum interrogantem an deberet iura-
re, non fecisse se stuprum, Non est, inquit, periuri-
um minus stupro flagitium. Cum interrogaretur,
quid esset difficile, Scipsum, inquit, nosse. Quid con-
tra facile, Alteri dare consilium. Quid dulcissimum,
Voti compotem fieri. Quid numen diuinum, Quod
& initio & fine careat. Quid rariss. uidiſset in
uita: Senem, inquit, tyrannum. Quo pacto quis fa-
cillime aduersam ferret fortunam: Si uideat inimi-
cos maioribus malis obnoxios. Qua ratione fieri
possit, ut optime iustissimeq; uiuamus: Si quæ in ali-
is reprehendimus, ea non faciamus ipsi. Quis esset

felix: Qui corpore sano & animo liberaliter in-
stituto. Quantum distaret à ueritate mendacium,
quantum, inquit, ab auribus oculi.

V I.

B I A S

Teutami F. Prienensis.

Maximus est ubiq; improborum numerus.
Prius teipsum inspicio, quàm aliquid agas,
Sicq; honestus tibi uideris, honesta facito:
Sin deformis, naturæ vitium corrigo. Boni viri
officia exerce. Lente aliquid aggredere, quod ve-
rò incoaris, in eo perficiendo perseuera. Celeri-
tatem in loquendo oderis, ne pecces. pœnitentia
enim peccata comitatur. Non stupidus sis, nec ma-
litiosus. Ne quid per imprudentiam admittas. Pru-
dentiam magnifacito. Deos esse nunquam non
dicit. Fac intelligas id quod in manibus est. Au-
di multa, Loquere opportuna. Degens in egesta-
te ne castiges diuites, nisi multum possis prodesse.
Virum honore indignum ne laudes ob diuitias.
Cum bona gratia aliquid obtine, non per vim.
Cum boni aliquid facis, Deum, non teipsum facito
autorem. In adolescentia optimis studijs prædi-
tus esto, in senectute sapientia. Operi adhibebis
memoriam, occasionem cautionem, moribus bonam
indolem, labori patientiam, timori pietatem, di-
uitijs amicitiam, orationi persuasionem, silentio de-
corum, sententiæ æquitatem, audaciæ fortitudi-
nem, actioni potentiam, existimationi principa-
tum, naturæ generositatem.

Addita.

Addita.

Cuius placeto omnibus in quacunq; es ciuitate. nam ad colligendam gratiam plurimum hoc ualet: Contra morositas sepe magnam calamitatem uelut ignem excitauit. Nasci corpore robusto naturæ munus est, sed posse dicere conducibilia patriæ, animi prudentis proprium est, Pecuniarum autem copia multis etiam fortuito contingit. Infelix qui infelicitatem ferre non potest. Animi quidam morbus est, appetere quæ consequi nequeas. De aliorum incommodis ne mentionem facias. Vitæ tempus ita metire, quasi & diu & parum sis uicturus. Boni uiri facile seducuntur. Qui doctrinæ uacant inani, similes sunt oculis noctuarum, qui noctu quidem ualent, sed sole splendente cœcuciant. Sic illorum mens ualde quidem acuta est ad contemplationem uanitatis quod attinet, sed ad ueri luminis oppositum obscuratur. Locorum mutationes ut prudentiam non conciliant, ita nec ab imprudentia liberum reddunt. Prudentes magis iuuantur ab imprudentibus, quàm hi ab illis. nam illi cauent sibi ab horum delictis: hi illorum recte facta non imitantur. Vir præstans præterita debet memoria complecti, præsentia tractare, & futuris adhibere cautionem. Vnum est principium bene consultandi, Nosse id quo de agitur, quod nisi fiat, fieri aliter nequit, quin toto cœlo erretur. Qui mentem bonam & sagacem à Deo petunt, & discendo seipsos non erudiunt, eos esse stupidos dicebat. Neq;

enim pictorem uoti compotem fieri, si petat à Deo, ut ipsi largiatur scientiam ducendi lineas & miscendi colores, nisi artem pingendi didicerit. Neq; musicum aliquem euasurum optando, nisi canendi artem didicerit. Ita nec prudentem, nisi disciplinam earum rerum quæ prudentiam constituunt perceperit. Cum interrogaretur quid esset difficile, Ferre, inquit, fortiter mutationem rerum in deterius. Et, quæ nam mors mala esset & inhonesta? Illa inquit, quam leges inferunt. Et quis optimus esset consiliarius? Occasio. Nauigans aliquando cum impijs quibusdam, cum nauis aduersa tempestate iactaretur, illiq; Deos inuocarent, Silete, inquit, ne illi uos hic nauigare sentiant. Interrogatus ab homine impio, quid nam esset pietas, nihil respondit. Cuiq; ille silentij causam sciscitaretur, Taceo, inquit, quia de rebus nihil ad te pertinentibus interrogas. Cum interrogaretur quid esset dulce hominibus, Spes inquit. Et, Quæ res in uita metu careret. Recta conscientia. Cum quendam capite damnaturus esset, lacrymas profudit. Quærente autem quopiam, quid est, quod fles, cum ipse feras contra miserum sententiam? Quia, inquit, necesse est, me & naturæ humanæ uicem dolere, & secundum legem sententiam ferre. Percontanti quod esset animal maxime perniciosum, respondit, Inter agrestia tyrannus, inter mansueta adulator. Ad scelestum quendam dixit, hoc se non uereri, ne aliquando ille pœnas daturus esset: sed illud, ut spectator ipse esse possit.

posset. Cum iuberetur Amasidi optimam mittere
carnem de sacrificio, linguam exemptam misit, ut
quæ damna & commoda in dicendo præstaret ma-
xima. Conspicatus enssem proiectum, Quis te, in-
quit, perdidit, aut quem tu?

V I I.

PERIANDER

Cypseli F. Corinthius.

Studium est omnia. hoc est, studio & exercita-
tione nihil non obtinetur. Bona res quies. Pe-
riculosa temeritas. Lucrum turpe naturæ ac-
cusatio. Administratio popularis præstat tyran-
nide. Voluptates mortales sunt, virtutes immor-
tales. Cum res sunt secundæ modestus esto: cum
aduersæ prudens. Satius est in parsimonia mori,
quàm in egestate viuere. Ita compara te, vt dignus
sis parentibus. Viuus laudari velis, mortuus eti-
am beatus prædicari. Amicis secunda & aduersa
fortuna vtentibus idem esto. Quem sponte ma-
lum esse confessus fueris, eum deuita. Sermones
arcanos ne effutias. Ita conuitiare ut breui ami-
cus futurus. Legibus antiquis vtere, obsonijs re-
centibus. Non solum peccantes castiga, sed &
peccaturos reprime. Res tuas aduersas cæla, ne
gaudio afficias inimicos.

Addita.

IRam fræna. Turpe lucrum molestus thesaurus.
Pecuniarum caussa ne quid agas contra offi-
cium, nam ijs ex rebus lucrum faciendum est, ex
quibus

quibus decet. Ea age, quorum te non pœniteat. Qui
tuto regnare uolunt, beneuolentia stipari debent
non armis. Quanto magis inuides, eo maiora bo-
na concilias ei, cui à te inuidetur. Vt rubigo fer-
rum, sic inuidia animam, quæ illam possidet, confi-
cit. Quemadmodum rubigo proprius est frumenti
morbus, ita inuidia amicitie est aegritudo. Satius
est inuideri tibi, quam ut sis miserabilis. Interroga-
tus cur tyrannidem occuparet: quia, inquit, & spon-
te ab ea desistere & ui remoueri periculosum est.

Et, Quid maximum esset in minimo: Mens
bona, inquit, in corpore humano.

Et, Quid libertas: Bona,
inquit, conscientia.

F I N I S.

SUBIECTIONES
SEPTEM SAPIENTVM
COLLECTAE
A SOCIATE.

DEum sequere. Legibus pareto. Deos cole. Parentes reuerere. Iustitiæ defendendæ causa quiduis patere. Discendo cognitionem rerum compara. Quod audieris perpende. Nosce teipsum. Contracturus matrimonium oportunitatem specta. Sapito mortalia. Hospitem te esse scito. Vestam honora. Rege temetipsum. Amicis succurre. Animo moderare. Intelligentiam exerce. Prudentiam cole. Iureiurando ne utaris. Amicitiam magnifacito. Disciplinam amplectere. Gloriam sectare. Sapientiam æmulare. De bono bene loquere. Neminem vitupera. Virtutem lauda. Age quæ iusta sunt. Amicis benevolentiam præsta. Inimicorum vim repelle. Naturæ bonitatem exerce. A vitio abstine. Omnibus teipsum præbe. Res tuas custodi. Ab alienis abstine. Bene ominare. Audi omnia. Amico gratificare. Nihil nimis. Parce tempori. Specta futurum. Contumeliam oderis. Domesticos reuerere. Inter pocula compositis esto moribus. Liberos institue. Si potes alijs gratificare. Dolum metue. Bene omnia interpretare. Sapientiæ frudifusus esto. Ex æquo & bono iudica. Vbi rem cognoris, aggredere. A cæde abstine. Opta quæ fieri possunt. Doctorum consuetudine utere. Ingenium

genium & mores explora. Depositum restituere.
Neminem suspectum habe. Artibus utere. Quod
daturus es, dato. Beneficentiam cole. Nemini in-
uideto. Custodibus patriæ te adiunge. Spem
bonam præ te ferto. Calumniam oderis. Iuste
bona posside. Bonos honora. Iudicem qui vir sit,
nosce. Fidem coniugij serua. Fortunæ aliquid tri-
bue. Sponsionem fuge. Cum omnibus loquere.
Parium consuetudine utere. Sumtus aliquando fa-
cito. Bonis quæ possides, lætus fruiere. Verecun-
diam cole. Gratitude præsta. Bonos euentus
opta. Præsentem fortunam boni consule. Non
tam auribus quàm oculis fidem habe. Opus fac ut
rem facias. Contentionem oderis. Probrum de-
testare. Linguam contine. Iniuriam iure repelle.
Æquum iudica. Utere pecunijs. Causas iudica
absq; largitionum corruptela. Præsentem accu-
sa. Testis dic quæ nosti. Vim ne usurpes. Viue si-
ne animi ægritudine. Conuersare cum alijs placi-
de. Cæptum absq; ignauia usq; ad extremum ex-
equere. Comis sis atq; humanus erga omnes. Li-
beris fretus ne sis. Linguam ratione rege. Bene-
facito tibijsi. Affabilis esto. Responde in tem-
pore. In eo elabora, quod æquum & bonum est.
Ea facito, quorum te non pœniteat. Cum delin-
quis, consilium muta. Oculos moderare. Consule
utilia. Perfice breui. Amicitiam serua. Benemeritis
gratum te præbe. Concordiam sectare. Arcanum
cæla. Magistratum metue. Id venare quod est con-
ducibile. Occasionem expecta. Inimicitias dissol-
ue. Senectutem adipiscere. De viribus ne glorie-
ris. Bona verba loqui stude. Ne in odium incurras
caue. Diuitias honestis rationibus compara. Existi-
matio-

mationem non negligere. Improbiteriam oderis.
Discendo ne defatigeris. In faciendo periculo pru-
dens esto. Nunquam non lætus esto. Oracula ad-
mirare. Quos alis dilige. Absenti ne obtrectes.
Maiorem natu reuerere: minorem doce. Diui-
tijs non confide. Teipsum verere. Prior iniuri-
am ne facias. Progeneratores corona. Mortem
oppete pro patria. De vita ne dimica. Mortuum
ne irrideas. Infortunati vicem dole. Largire pro
re tua. Ne quouis incommodo mæreas. Ex inge-
nuis liberos procrea. Ne quid cuiquam de te pro-
mittas. Mortuos ne lædas. Bonis fruere ut mor-
talis. Fortunæ ne credas. Puer moderatus esto,
adolescens continens, vir iustus, senex sapiens. Mo-
rere sine animi ægritudine.

SENTENTIAE SA-
PIENTVM DE RE FAMILIARI,
descriptæ ex conuiuio Plutarchi.

SOlo eam sibi domum videri optimam dixit, in
qua domino pecuniæ ita suppetant, vt neq;
ille in possidendo iniustitiæ, neq; in conseruan-
do diffidentia, neq; in insumendo pœnitentiæ sibi
sit conscius. Bias, in qua dominus sua sponte talis
est, qualis foris ratione legum. Thales, in qua do-
mino plurimum ocij & vacationis habere liceat.
Cleobulus, Si dominus plures habeat sui amantes,
quàm metuentes. Pittacus optimam esse domum
dixit, quæ vt diuitijs non abundet, nulla tamen re
necessaria destituatur. Chilo censuit domum de-
bere perquam esse similem reipub. regiae potestati
subiectæ,

subiectæ. Postea hoc adiecit, Lycurgum dixisse ad
quendam, cui administratio popularis in ciuitatem
introducenda esse videretur: Tu prius talem fa-
cito administrationem domi tuæ.

SENTENTIAE EOꝝ

R V N D E M D E R E P V B.

Quod si nunc etiam, inquit Solo, de Repub.
aliquid libet audire, Ea mihi ciuitas vide-
tur perbeata & popularis administrationis
optima conseruatrix, in qua illesi non minus quàm
læsi improbos de iniurijs postulant & pœna mul-
tant. Bias secundo loco, optimum esse dixit sta-
tum popularem, in quo ciues vniuersi non aliter
legem metuant, quàm tyrannum. Infra hunc as-
fidens Thales, eam laudauit ciuitatem, quæ ciues
haberet nec prædiuites nec tenues nimium. Post
hunc Anacharsis, eam, in qua cum cætera in qua-
dam æqualitate ponerentur, virtutes ad finem bo-
norum, vitia ad malorum referretur. Quinto loco
Cleobulus ibi ait populum max. moderatum esse,
vbi ciues magis reprehensionem metuant, quàm
leges. Pittacus sexto loco, vbi imperare impro-
bis non liceat: sed viris bonis liceat. Chilo ab his
dissentiens, eam Rempub. optimam esse pronun-
ciauit, quæ potissimum leges, minime oratores
audiret. Periander iterum postremo loco com-
probans aliorum sententias, Videri sibi, inquit,
omnes illas pertinere ad commendatio-
nem status popularis, qui optima-
tum potestati esset simillimus.

Epigram-

EPIGRAMMA TA ET ELEGIAE

A LEONHARTO LYCIO
CONVERSAE.

ANTIPATRI.

TE Lindus Cleobule tulit, septem sapientum,
Sisyphium agnoscit te Periandre solum.
Pittace te Mitylena, Bia te magna Priena,
Miletusq; Thalem iustitiæ columen.
Sparta dedit Chilona, Solonem Cecropis aula,
Omnes custodes iustitiæ eximia.

ALIVD INCER
TI AVTORIS.

SEpteno pandam uersu, septem sapientum
Patria quæ fuerit, quæ nomina, qualia dicta.
Optima res modus est, Cleobulus Lindius inquit.
Chilo caua natus Lacedæmone, Nosce te ipsum.
Iram flecte, Corinthi asper Periander alumnus.
Ne quid sit nimium, Mitylenis Pittacus ortus.
Vitæ spectata extrema, Solo altis natus Athenis.
Pars maior scelerata, Bias, hominum, ille Prieneus.
Præs nolis unquam esse, Thales Milesius inquit.

C

Auson

AVSONIVS

ITA VERTIT.

*Septenis patriam sapientum, nomina, uoces,
Versibus expediam, Sua queng; monosticha dicent.
Mensuram optimum, ait Cleobulus Lindius, in re.
Chilo cui patria est Lacedaemon, Nosce teipsum.
Periander Trepidam moderare, Corinthius, iram.
Ex Mitylencis, Nimum nil, Pittacus oris.
Expectare Solo finem docet, ortus Athenis.
Plures esse, Bias, prauos, quem clara Priene.
Mileti, Fugisse, Thales, uadimonia alumnus.*

IOACHIMI CAME

RARI SEPTEM SA
PIENTES.

SOLO.

*NEC spes nec fortuna uale: nunc omnia recte
Se quidē habent: dubia at cuncta futura manēt.
Nanq; Solo spectare iubet uitæ extima longæ.
Ergo me demum linquite, cum morior.*

CHILO.

*Seu Chilo hoc dixit Spartanus, Nosce teipsum,
Seu rex effatus Delphicus ille fuit,
Præclarum est uerbum. nam qui non ipse seipsum
Norit uel truncus uel lapis is fuerit.*

Cleobulus

CLEOBULEVS.

Consilium pcius lentum est quandoq; uolucris.
Est ut pœniteat præcipitasse nimis.
Sic Cleobule ergo recte, Modus optimus, inquis
Quo sine & est lentum stultitia, & subitum.

PERIANDER.

Siue Iram fræna, dixti Periandre Corinthi
Rex, siue Studium quælibet assequitur:
Arbitror edoctum per teipsum utrunq; Melissæ
Ex morte uxoris te didicisse tuæ.

PITTACVS.

Qui sapitis nimium, qui desipitisq; ualete:
Nolo nimis sapiens esse uel insipiens.
Sed medium quoddã est, quod amo, de quo Mitylenæ
Orte mones, Ne quid, Pittace sit nimium.

BIAS.

Dic te quæso Bia, usque adeo quid nosse iuuabit,
In terris plures omnibus esse malos?
Tu quoq; ne numero in magno sis hospes, & inde
Suspecta ut semper cuncta profecta habeas.

THALES.

Complexus cœlestia & hæc mortalia mente est,
In fossam spectans, cum incidit, astra, Thales.
Ex illo dixit, damno uadimonia iuncta.
Ores humanas æthereasq; tenens.

C 2

Callio

CALLIMACHI EPI-
GRAMMA DE PITTACO.

HYrradio genitū Mitylenis Pittacum, Atarnæ
Adueniens hospes uoce rogante adiit.
Care senex, duo me inuitant connubia: Virgo
Me petit æqualis gente opibusq; mihi.
Est et quæ præstet mihi, Quid magis expedit? utrā
Vxorem ducam? da rogo consilium.
Dixit. At ille senilia tollens arma bacillum,
Ecce ait, isti rem, quam petis expedient.
Nempe trochos agiles scuticæ qui uerbere uersant
Gyrando planis in triuijs pueri.
Istorum sequitor uestigia. Vt ille propinque
Astitit, isti aiunt: Heus tibi sume parem.
Hospes ut hæc audit, maiorem attingere stirpem
Noluit, auscultans paruula turba tibi.
Atq; domum tenuem deduxit, ut ille, puellam,
Dixerat: Heus abiens tu quoq; duce parem.

ELEGIA SOLONIS
CONVERSA A PHILIPPO
MELANTHONE.

Non urbem superi cupiunt euertere nostram:
Et nobis, nisi sint numina læsa, fauent.
Ac nostræ custos arcis Tritonia Pallas
Perpetua cura mœnia nostra tegit.
Ipsi sed patriam sceleratis mentibus ultro
Conantur ciues dilacerare suam.

Nam

Nam precio quidam uendunt legesq; fidemq;
ἀπάντων ἀνδρῶν τε δεῶν τε δ' ὧ πάντες γε-
γονασίη, οὐ κατὰ λάχνητα οὐδὲ κατὰ σίμωνα, οὐ
δ' ἀνάται κατὰ χεῖρ οὐδὲ κωλύσαι πλὴν ἀδικίαν
τῶ ἀνθρώπων; καὶ μὴ ὅτι γε τοῖς λόγοις οὐκ ἄν
πιστεύει τις τοῖς ὑπὲρ τῆς οὐλίας, τὸ γὰρ λοι-
πὸν ὄβρι, φανερόν δ' ἦπ' ὄ. γελοῖον γὰρ ἀργύριον
μὴ δ' ἀνεῖζοντα τοῖς πόλλοις, μὴ ῥαδίως ἄρ' ἵνα
πιστεύσαι λόγῳ μόνῳ, ἀλλὰ μαρτύρων δ' εἴδη καὶ
γραμμάτων, καὶ πόλλων καὶ ταῦτα πρὸ βαίνων.
τί οὐ φησὶ οὐκ ἦδ' ἡ ἱνὲς ἐγγύοντο οὐλοὶ τῶ
πρότορον οἶον ὡς ἄν λέγοιμι τοὺς ἡμιθέους
δρυλομύθους τὸ τὸς ορέσκῃ καὶ πυλάδῃ καὶ θεῶ
σέα. καὶ Περσίδῃ καὶ Αχιλλέα καὶ Πάτροκλον; εἰ δ'
οὐκ τις συγχωρήσῃ ἀληθῆ πλὴν δόξαν εἶναι
ταύτην, δ' ἦλον ὡς τρεῖς ἄν εἴη οὐλία γεγονῆαι
ἐν τῷ τῷ χρόνῳ, ἐν ὅσῳ πλεονάκεις ἄν
εἴποι τὸν ἥλιον ἐκλελοιπέναι.

τέλθ

ΙΟΑΧΗ

IOACHIMVS
CAMER. IOHANNI
MYLIO IVRISCONSULTO
V. C. AMICO S.

Ecce tibi libellum, quem tibi quasi ex stipulatu debebam, cuius persolutionem maturare studui, ut intelligeres me fidei bonæ nomen esse. Tu de hoc facies, quod quidem uidebitur. Nam iudicium relictum mihi nullum est. Quid autem sentiam de hoc toto genere interpretationum, tibi non est obscurum. Scis enim me nunquam probasse huiusmodi conuersiones, cum afferre sua malim unumquemque quam aliena offerre. Atque etiam Ciceronem arbitror ita interpretatum esse illos libros, quos ipse memorat, ut non tam illorum, quam suo more eloqueretur omnia, quod ipsum licet aestimare de philosophicis scriptis, quæ extant, in primisque disputatione de officijs, quam haud dubie Panætius diuersis ratione et instituit et tractauit. An tu censes ita de re familiari eodemque tenore differuisse, quo Xenophontem uidemus? at conuertisse hoc scriptum in latinum se adolescentem dicit. Iam cui dubium esse potest, quin tantum mutauerit in orationibus illis claris oratorum reddendis, ut non illorum iam, sed ipsius uisæ fuerint translatae in consuetudinem linguae latinæ. Sed de hoc aliàs pluribus. Nunc ad libellum reuertor, quem opinor te libenter lecturum. Crede enim

G 5

mibi

mihī Myli, immo tibi crede, ipse enim uir doctiss.
aliter non potes sentire, & ueteribus sapientibus,
in hoc esse præcepto totam scholam prudentiæ, Neq;
uitam aliam aut tutiorem aut meliorem, quàm ubi
temere nihil credatur. Qua sententia etiam isti se=
midocti & abortiui fœtus studiorum, non enim lo=
quar de alienis ab ijs prorsus, nihil aliud habent
prius aut notius, utq; omnibus bonis rebus facere con=
sueuere, turpiss. abutuntur, qui non ut ipsi impro=
borum fraudes & insidias sine aliorum incommodis
uitent, huc confugiunt, sed cum quàm infideles ipsi
alijs sint norint, hanc sibi legem statuunt, ut credant
prorsus nemini. At ipsa hoc honestas non patitur,
& opt. præceptum uitæ à uitio & infamia defendit,
Remouetq; immanitatem damnandi malignitatis
& perfidiæ omnes mortales, & corrigit illud cle=
mentia & mansuetudine, sæpe etiam planè exclu=
dit, perq; uirtutem in explorata & prouisa peri=
cula multos impellit. In qua re habemus nos domesti=
cum exemplum fratris nostri, cui non modo contra
meritum & simpliciter, sed fide interposita & te=
stata libello honestæ missionis uincula nefarie fuere
iniecta uolenti esse forti & in euidentijs. periculis
non dubitanti credere illis, quibus ut cognitum est,
nihil sanctum, nullus respectus numinis, quos neq; fi=
des, neq; dignitas, neq; hominum pudor retinuit, quo
minus in innocentem tam scelerate sæuirent. At ille
si uoluisset audire, qui eum monentes, ut provide=
ret, ne quod in malum constantia ipse sua se conij=
ceret,

ceret, memorantes etiam quod prouerbio Germanico fertur eius sententiae, quae apud Theognidem est,

Res mihi fracta fide, res diffidendo retenta.
non se & nos misere suo casu afflixisset. Sed ipse recte aliter facere se posse non iudicauit, inhonestumque sibi esse censuit, in ea recti conscientia quicquam uideri timide, occulte, simulate gessisse. Sed nimirum ille hac contumelia & calamitate affectus, minus miser est, quam qui euersum & prostratum calcauerunt. Neque ego eius fortunas miseror. Incredible enim dictu est, quanta sit innocentiae consolatio & erectio in aduersitatibus: quantaque contra fatigatio & perturbatio peruersitatis & scelerum. Sed ad propositum. Magnopere placuit ueteribus haec sententia, itaque multifariam commendarunt. Unde Dionis Prusaensi Sophistae auctori huius scripti materia suppeditata est dissertationis huius, quam ut uides, in uersiculum Epicharmi imponit, quo sapientiae neruos & artus dixit esse, nemini temere credere, sic enim uideo ἀπισία πρ uocari latine. Cui subscribens Euripides ita facit loquentem Helenam:

— ueraque diffidentia
Mortalibus nil usque esse utilius potest.

At Demosthenes hanc unam ait omnibus, qui sapiant à natura communiter concessam custodiam salutis & fortunarum suarum, ut ne cui temere fidem habeant. Homerus uero princeps omnis eruditionis

nis, nullo alio praesidio usum, aut ope humana adiu-
tum, terra mariq; euadere tot labores, discrimina,
ærumnas, Vlyssæm facit, quem sapientiss. intelligi
uoluit, quàm neminise credendo, & callide tegendo
consilia sua. Itaq; ipse hoc iactitat apud Phæacas,
hoc modo:

Sum Laertiades, qui calliditate dolosa
Omnibus anteeo mortalibus, & mea cœlum
Fama per immensum uolitat.

Hesiodus etiam quam quidem ciuilitate monet, ut ne-
que fratri quisquam suo infinitam fidem habeat,
dum iubet, si quid cum illo negotij forte sit, adhibito
teste agere, sic quasi per iocum. Iam canticum illud
Solonis, qui quidem ex sapientib. solus legislator
fuit, quàm diserte hanc cautionem tradit:

• Mortalibus à cunctis caueas,
Ne forte quis occultis animo
Odijs te appellet uultu hilari,
Bifidaq; ex ore sonet lingua.

Tu uir opt. & doctiss, Myli, debes uoluntatem gra-
tificandi tibi meam probare, de opere quidem facis
es, quod uidebitur. VALE.

DIONIS DIS- SERTATIO DE NON TEMERE CREENDO.



Compertum ne tibi est damnum ali-
cui iam datum ab inimicis? Quid
ni verò. Etiámne ab amicis, vt vo-
camus, & notis, & cognatis, atque
adeo coniunctis. nempe fratribus
aut liberis, aut patribus? Fateor.

Quid igitur causæ esse dicemus, cur non modo
hostes hostibus noceant, sed amici etiam amicis, &
quidem sæpenmero & inter summas necessitudi-
nes? Quid enim nisi improbitatem, quæ nisi fal-
lor, efficit, ut ipsi homines detrimentosi sint. Est
igitur ab amicis cauendum, siue benevolentia, siue
consuetudinis, siue sanguinis fuerit coniunctio?
Sane est ut hæc euincit oratio. Ergo recte scripsit
huius versus autor:

Esto sobrius, ac memento nulli temere credere.
Fieri sane potest ut recte. Minime quidem aduer-
sus inimicos à poeta subiecta præceptio, ac plane
contra eos, qui pro amicis habentur. Nam quibus
scit sese aliquis odio esse, is se neutiquam permittit,
eosue aduersus se fouet, proinde quid hoc erat præ-
cipere, non temere illis credere quibus credit pror-
sus nemo? Nunc igitur age exquiramus, utrum
plures manifesti hostes, an simulati amici perdide-
rint. Equidem inuenio animo euersas vtbes nume-
rans, multo illarum plures proditione captas,
quàm ui expugnatas esse. Et multo omnino crebri-
ores

ores rebus aduersis querelas amicorum ac necessa-
riorum, quàm accusationes inimicorum. Cunctis
sint aduersus hostes parata mœnia & obiectum
vallum. non est horum vsus tempore sæpe numero
valde longo. Inter ciues uerò, qui iisdem fanis ac
sacris vtuntur, interq; affines, tribules, populares,
cognatos, perpetuæ sunt lites, in iudicijs, de legi-
bus, in curia. Itaq; ciuitates refertæ sunt accusato-
ribus, reis, iudicantibus, causas dicentibus. Ac ne
ferijs quidem solennibus, neq; cum rem diuinam
faciunt, ab iniurijs abstinent. Quare leges etiam de
ijs latae sunt, quæ quis ferijs patrarit. easq; leges
quasi in nomine aliqua sit utilitas, vocant sacras.
Nam malignitatis bellum est sempiternum, quod
gerunt inter se omnes homines, neq; indictum ne-
que dirimendum vllis conditionib. aut fœderib.
Sed hoc inter eos tamen potiss. suscipitur, qui sunt
coniunctis. Proinde si quis tranquillam securamq;
vitam expetit, cum fugere hominum societatem,
& scire ita natura comparatum, ut vulgus malam
gratiam referat, neq; credere oportet asseueranti-
bus sexcenties. amicos sese esse. Non enim est in re-
bus humanis uerum quicquam aut certum, quemq;
anteposuit quis vniuersis, habuitq; forte etiam vi-
ta sua cariorem, paulo post capitaliter odit, neque
manus sæpe quo minus illi afferat, continet. Ita vi-
demus amatorem interficere interdum dilectum
sibi puerum, cum amoris vi incitatus minima quo-
que de causa ira in illum exarsit. Videmus & se-
ipsos interimere alios, quibus illud est contrarium,
sed intemperantia extimulatos, alios, quibus non
est, cum nihil in vita illis triste acciderit, nisi quòd
intus prauitate abundant. Quis enim recensere
possit.

possit damna vniuersa, quibus seipsos homines afficere solent? Quid igitur ijs credemus, aut quæ esse poterit tuta fides, aut quomodo sperabimus fore, ut nos amet, qui ipse sese oderit? Quare quod Atheniensib. quondam dictum est, cum in vltimo rerum suarum discrimine de Samo nescio quid postularent, recte dicetur, ut opinor, & ijs, qui sceleri prætendunt amicitiam: Qui sese non diligit ipse, quomodo diliget alterum, hospitem, liberos, fratrem? Sed complectitur aliquis nos summa beneuolentia, & Deos testatur, neq; si secari iubeas, recusaturus videtur. Audire quidem hos oportet, & mediis fidiis ne utiquam fortasse repellere. Tu tamen animo hoc infixum cogitatumq; habeto, ne horum quidem quicquam firmum esse. Videbat Electra plorantem Orestem, cum maxime illius lacrimis moueretur, & sperabat quidem remissæ malum, cæterum nullo modo adducebatur ut crederet ipsum penitus conualuisse. Itaq; paulo post conspicata trepidantem,

Heu frater, inquit, oculos cerno turbari tuos,
Subitoq; factus es alius.

Mare sæpe sic est tranquillum, vt vel timidissimus possit contemnere. Sed num ideo minus naues anchoris ac clauis, & reliquis necessarijs saluti nauigantium rebus instruimus. Nam si forte ita ceciderit, non ita diu post incumbentibus ventis, validam cieri tempestatem videbis, & fluctus ingentes ac immensos, haud montibus inferiores, albida curuantes dorsa. Similiter quem tu facilem beneuolumq; in primis ac obsequentem tibi expertus es, leuissima de causa senties difficilem, sæuum, paratum ad omne contra te facinus. Quoties Medeam
pro

pro salute liberum suorum Deos orasse, quantisque
in angoribus illis forte ægrotantibus, denique mor-
tem quoties oppetere pro illis cupisse censes? At
hæc num ideo minus suis illos manib. cecidit. Sanè
inquit quis irata & æmulatione concita. Tu verò
vulgus mortalium non arbitraris æmulari, neque
inuidere, neque sperare? Imo verò in hoc sunt toti.
Proinde caue fidem habeas ijs, qui se tibi amicos esse
dicunt, qui neque negant benevolentiam erga te su-
am extingui posse. Vt enim lemnisci, quibus aura
notatur, semper secundum uentorum inspirationes
feruntur, ita praua ingenia in omnes partes temere
impelluntur. Cum seruis nemo societatem inicit, ne-
que enim illis quisquam credit, cum non in sua sint
sed dominorum potestate. Quis igitur confidet fa-
nus malorum coniunctionibus, cum nihil longius
à libertate separet homines, quàm uitia? Antiquis.
lex est, qua contractus impuberum vetantur, quod
fidendum illis non sit. Apud Athenienses mulieres
à commercijs repelluntur ultra sex modios hor-
dei. Nam & hæc pariter infirmum animum gerere
putantur. Quid autem inter admodum impuberes
ac potius paruulos, & homines improbos discrimi-
nis esse dicemus? nisi forte quòd nocere hi plus
valeant, & callidiores sint. quæ ipsa optima est
caussa, cur his quàm illis minus fidei habendum sit.
Eramus autem prorsum felices homines, si tem-
pus, ut puerum, adolescentem, iuuenem, senem fa-
cit, ita etiam prudentes, iustos, fideles redderet.
Quid autem præstant viri vecordes malis mulieri-
bus? Corporis quidem est differentia, ingenij nul-
la. Quemadmodum igitur lex non patitur ad ma-
gna adspirare mulieres, sed præscribit commercio-
rum

rum modum. Ita par est minimum consuetudinis
in vulgus vsurpare, neq; illi vnquam committere
res arduas, aut arcanos sermones tutelamq; vitæ.
Nunquam enim malefaciendi voluntate caret, ali-
qua saltem irritari caussa oportet. Vtq; beluæ sæ-
pe nemini infestæ sunt, vel cum sopitæ, vel cum à
pastu acquiescunt, naturam tamen suam retinent.
Ita & illi, quamuis aliquantisper nemini nocuerint,
occasionem mox nacti, & fœnus & sortem, ut
aiunt, prauitatis persoluunt. Recte igitur Lacon
ille, cum quodam in cætu aliqui vellent cum eo
amicitiam facere, & deferrent quamcunq; petisset
coniunctionis fidem, Satis est vna hæc, inquit, quam
si maxime cupiatis, non possitis male mihi facere.
præter hanc profecto fidem quæcunq; est, ratione
ac stabilitate caret. hancq; à multitudine accipere
expedit, & nullam præterea. Nam quòd studia,
aut necessitudo, aut genus prætenditur, ridiculum
est. Atreus Thyestis frater erat, & paruulorum
quos concidit patruus. Erant Eteocles & Polyni-
ces non modo fratres, sed etiam de filio & matre
geniti, quibus nihil queat fieri cognatius. Quòd si
genus prodest, debuere isti sese mutuo plus quàm
vlli diligere. Sed multo euenit secus. nam qui fi-
dem dederat, illum qui acceperat, regno patriaq;
expulit, nec ita multo post alter alterum intere-
mit. Theseus Neptuni filius calumnijs inductus fi-
lium suum Hippolitum execrationibus perdidit.
Quis Priamo quondam beatior? pluribusue gen-
tibus imperauit, aut regnauit latius?

Qua Lesbos diuûm sedes it terminus, & qua
Vlterius Phrygia est, quæq; Helles æquora finis.

H

Verum

Verum hunc nati libidines ad extremas miseras
ac calamitates adegerunt. Atque hæc quidem exem-
pla sunt insignia. Quantam autem turbam credis
omnibus in locis inueniri obscurorum & ignobi-
lium istorum Thyestarum, & Atreorum? quorum
alii occultis cædibus, alii alijs insidijs student. Nam
Aeropas & Clytemnestres & Sthenobæas nemo
enumerare queat. Ita igitur sese habet generis &
familiaritatis fidelitas. Nunc de iureiurando vi-
deamus. Iurauerat cum reliquis Troianus Panda-
rus, sed num minus fauciauit Menelaum. Iusiuran-
dum dederat Clearcho & cæteris ducibus Tissa-
phernes, ipseque adeo rex, Dijs regijs testibus factis
& dextris per interpretem iunctis. Quid Philippus
rex Macedonum? Nunquid inter alia bello geren-
do necessaria habebat & periurium paratum? Du-
abusque his rebus vrbes capiebat, violandis fœderi-
bus, & comparandis proditoribus. & ita quidem,
vt illo vteretur familiarius. Nam proditoribus
merces soluenda, iuris vero peierati nomine nihil
pendendum Dijs erat. Non dissimilem sententiam
fuisse perhibent Lysandri Lacedæmonij, qui soli-
tus fuerit dicere: Sicut pueri talis & pilis circum-
uenirentur, ita viros falli oportere iureiurando
& largitionibus. Illa etiam astuta vulpecula apud
Archilochum, nunquid aliud significat? Glauco
vero datum oraculum non arbitraris probasse plu-
rimos etiam prius quàm daretur, & peierare ta-
men voluisse? Quandoquidem & fidei seruans ho-
mo conditur Orco. Et hos quidem, quos recensui,
hisque alios similes, nobilitauit famæ occasio. At
ignobilibus Glaucis & Pandaris istis,
Plena hominum fora sunt, & publica strata viarum.
Quibus

Quibus neq; Minerua neq; Apolline consultore
de periurio opus est. Sed aduersus iniurias merito
fatisq; valent libationes & mensę sacra? Atqui Eu-
rytum iugulauit hospes impius, neq; Deos reueri-
tus, neq; appositam mensam. Qui tamen post tam
nefariam cædem, Deus creditur,

Delicęsq; fruens formosam amplectitur Heben.
Quid Archilocho sal & mensa profuit ad conuen-
tionum fidem, de quibus ipse commemorat? Ly-
caone nihil stultius, qui cum denuo in Achillem in-
cidisset, neq; fortiter pugnauerit, neq; strenue fuge-
rit, Sed ita compellarit virum.

Ipsę prius Cereris tecum sum munere functus.
Ante igitur quã cõtubernales fuissent, venditus ab
Achille, & in Lemnũ auectus vitam retinuit, tunc
verò captus mortem oppetiit. Ad hoc illi utilis fuit
cum Achille depasta Ceres. Nos autẽ ne venamur
quidẽ prius anates aut paricas, quã inescauerimus.
Quid Aegisthus nonne inter epulas Agamẽnonẽ.

Tanquã aliquẽ ad præsepe bouẽ iugulauit opimũ.
Quem non afflixerant totis annis decem Troiani,
quibus illos oppugnarat, neq; intra limina illorum
pedem intulerat. Tunc verò reuersum domũ post
Deorum immortalium sacrificia in domestico con-
uiuio vxor tam crudeliter sustulit. Post quæ ipse
apud inferos cum Vlyssę congressus Clytemnestrã
accusat, quæ oculos morienti non clausit, mo-
netq; ne mulieri fidem habeat, neue omnem animi
sui sententiam eloquatur. Nec tamẽ Clytemnestra,
quia mulier esset, talis erga Agamemnonem fuit,
sed quia improba. Non igitur minus conuenit mu-
lieri subijci quam viro. Sed ita videmus homines
facere, vt & ipsi maxime suspectos habeant, & ver-

bis alijs facere velint, à quibus aliquando læsi fue-
re. Vt quem serpens momordit, serpentem, quem
scorpius punxit, scorpionem. Et qui à cane impetitus
est nusquam sine fuste ambulat. Similiter & ipsi er-
ga se ferè sunt affecti. Dedit alicui malum dam-
numq; mulier, is statim exclamat :

O Iuppiter cur tantum & tam fallax malum
Solis, mulieres, deduxisti sub iubar ?

Alij susceptus hospes nocuit, sicut Menelao Ale-
xander, rebus illum & coniuge spoliatus. Is hospi-
tibus est grauis. Alij frater, alijs filius. Sed res aliter
se habet. Neq; enim fratris, neq; cognati, neq; hospi-
tis propria est fraus, aut iniuria, sed improbitatis,
quæ quidem parum abest quin insita sit omnibus.
Quamobrem, si sapias, omnes homines reformida.
Ait altquis esse hospitem sese tuum, fac formides.
Ostentat modestiam suam, fac formides. Hoc sit
ad omnia immobile. At enim boni viri officio erga
te est functus. ima caue respuas, Disq; magnas, atq;
huic adeo tali, si videbitur, gratias agito, sed in po-
sterum nihilo ipsum obseruato segnius. Nam quod
de fortuna dictum est à quodam, rectius de homi-
ne videtur posse dici, Nimirum compertum esse
nemini, vtrum similis sui cras futurus sit vllus mor-
talius. Itaq; & pacta inter se violant, & aliud con-
sulunt, prout commodum videtur, aliud ipsi agunt.
Proinde si quis dum credit alijs, ipse in malum inci-
dit, ridicule fecerit, si hunc accuset, seq; ac Deos in-
clamitans, quod amicus sese & necessarius decepe-
rit. hunc verò Di rident, videntes culpam in alios
conferre, qui ipse se fefellerit. Quis autem si in iti-
nere offendit, vel in cœnũ aut foueam decidit, saxo
irascitur, vel cœno? An non delirare putaretur
qui

qui faceret, cum succensere oscitantia suę potius de-
beret? Sed dices: Vitam igitur degere me beluarū
iubes & solitariam? Minime equidem beluarum,
sed viri sapientis & sciētis vere viuere. Nam multo
est tutior ac melior solitudo quā hominum socie-
tas, si ratione vera & communi cautione vacat. Si-
cut & pelagus terrę præstat, nisi quis locorum gna-
rus sereno cœlo nauiget. Nam in alto nauē periisse
cognitu rariss. est. Verū iuxta littora, quę sub pro-
montorijs sunt, illa naufragia cernuntur. Quare si
quando tempestas extitit, imperiti nauigationum
iubent ad terram cursum dirigere. At gubernator
quā longis. in altum refugit. Et portus quidem
inuenire est, vbi nauium tuta statio sit, & quo sub-
ducere sine periculo naues possis, quantumuis sæui
at hiems. hominum verò, qui optimus est, ad vernū
portum recte comparaueris, qui quidem in præsen-
tia naues tuentur. Singuli enim certis in rebus æqui-
tatem præstant. in alijs iniquis. Faciamus euim re-
periri posse aliquem, qui pecuniæ tibi gratia non
nocuerit, at si ira siue iurgia intercesserint, iam non
constans fidusq; apparebit. Est verò quę nulla ani-
mi perturbatio de gradu denicit, huic sanè licet cer-
tam fidem adhibeas, vteris tamen omnino parce, &
non nisi re postulante, ne sic quidem multum tibi
de cautione & vigilantia remittens, Sic procedens
ut Hectorem poeta facit,

Sed pugnandi ille peritus

Intectus taurino humeros clypeo vndiq; latos
Telaq; vitabat Danaum, volucresq; sagittas.

Ad hoc exemplū utile est in vita obijcere cogitan-
tiam animi, & cōtectos fugere ac declinare usitatā
hominibus maliciā, fraudes, insidias. Mirum autem

H 3 fuerit

fuerit profecto, de eadem mensa cibum sumere, & ex eodem poculo bibere, & vnā spectare lucernam, posse obstare improbitati. cum non coherceat huius communis luminis vsus, nec vnus terræ omnibus communis alimonia. Quæ verò stulticia est sperare, diuersorium posse, aut alias sanè ædes extractas certe lignis & lapidibus efficere, vt hominum voluntates concilientur, & inter illos amicitia firmerur, sicut Vlysses iubet, recta domus reuereri, quæ communia haberent, Iudicans reuerentia dignum domicilium trabibus indigenis exædificatum, hoc autem commune cælum, quo omnes includimur, & huius vniuersi fabricæ ita eximie & diuinæ communio, nihil afferet scilicet momenti ad concordiam, sed hoc poterunt res parue quæpiam nulliusq; ponderis. Etiam pater, qui interdum delirus est senex, iusta causa videtur, cur qui ab illo sunt progeniti, mutuum amorem conseruare debeant. At ille hominum pater atq; Deorum, quo omnes prognati sumus, non Laches aut Simō quispiam, tanti non erit, vt ipsius respectu hominum iniuriæ cessent? Quod autem verbis, quæ amicitie iungendæ prætendantur, minime credi oporteat, hoc enim restat, non est obscurum. Nam si verbis fides habenda esset, peruerse facerēt, qui pecuniam mutuo dantes, & syngrapham & testes adhiberent, cum tamen sic quoq; sæpius. decipiantur. Sed dixerit quis: Nemo igitur vnquam amicus amico fuit. & enumerauerit forte priscos illos heroas, quorū fides celebratur: Oresten, Pyladē, Thesea, Pirithou, Achillē, Patroclum. Sit hoc ita sanè. Sed quid hoc ipso efficitur? Tria scilicet amicorū paria reperta tanto tēpore, in quo sæpius inueneris solē defecisse,

E I N I S.

IOACHIMVS CAMER.

IOHAN. MYLIO V. C.

Libenter tibi morem gessi in re, ut ego iudico
leui, ut tu ais ualde utili, & locos in hoc opu-
sculo aliquot, in quibus propter historias aliquid
obscuritatis esset, explicui. Credo quòd hoc tanto-
pere uoluisti, ratus es gratiores libellum futurum
lectoribus, quem quisq; sine ulla magna cura de hoc
commentariolo esset intellecturus. Hoc uero bellum,
quod me magnopere rogandum consuisti, quasi uero
tantum hoc esset, quod petebatur, ut precibus exo-
randum uideretur, quod tamen nihil prorsum labo-
ris requiret, aut ego si quid aliud uelles aduersari
tibi possem? Sed quod uoluisti, quodq; institutum
est agamus.

ARGUMENTVM LIBEL- LI ET GENVS.

Docet nihil esse nocentius in uita, quàm in tan-
ta hominum peruersitate temere alicui fidem habe-
re. Cunq; sit improbitas humana nullo in certo loco,
gente, conditione, persona, ualde stultum habendū,
qui ulla spe elatus incaute se in credulitatem præci-
pitarit. Atq; hæc tractantur locis exemplisq; aptis
argumento, quod quidem uersatur in suasoria ma-
teria, cum dehortetur propositis incommodis &
detrimentis, à credendi facilitate. Orditur autem fi-
gurate per interrogationem, neq; enim locus fuit
H 4 longo

longo exordio, itaq; statim ad rem accedit, proponens se non quidem suadere ut ab hostib. caueamus, quod nemo non sua sponte faciat nisi insanus, sed notis, familiaribus, amicis, domesticis, totamq; dissertationem in uersiculum Epicharmi collocans, Ex quo ita argumentatur: Epicharmus si recte scripsit, ut uidetur, artus esse & neruos sapientiae, nemini temere credere, Apparet non quidem ab hostib. nobis pericula credulitatis praedici, quibus nemo soleat fidem sanus habere, restant igitur amicitiae praetensores. In hoc ergo. cautione & diligentia opus est ne qua specie & simulatione capti in fraudem impellamur. Quorsum autem attinebat moneri, nos ut hostes caueremus, quibus se nemo committit? Veluti exempli causa superuacaneum sit praecipere abstinio, ut à uino abstineat, quod ultro facit. Cui si quis medicus periculum à potu praedicat, non quidem à uino ipsi contrario, sed consueto potu intelligetur, ut res non habeat dubitationem, ut haberet si alij à potu periculum praediceretur. Quàm autem hoc utile praceptum sit & necessarium ad uitae quasi tutelam, argumentis exemplisq; confirmat, per omnes coniunctionum modos & nomina transiens, demonstransq; nusquam tutam fidem esse. Est autem uersiculus Epicharmi hoc modo Graece adductus, cum ab alijs tum à Cicerone libro primo Epistolarum ad Atticum. ubi tamen mendose in uulgaribus libris scribitur. ἡμετέρας μὲν ἀπιστεῖν ἄσθεα ταῦτα τῶν φρενῶν. Quod etiam subiicitur in libello de pe-

titio-

titione consulatus, his uerbis. Quamobrem ἐπιχάρ
μειορ illud te ueto. Neros atq; artus esse sapientiæ
non temere credere. Estq; ut obiter hoc pueris indi-
cem, uersus Trochaicus tetrameter catalecticus.
ἔγω γὰρ ὄρω καὶ τῷ πόλεως) Magnitudo, inquit,
discriminis hoc merebatur, ut moneremur cauere,
non quidem hostes, à quib. multifariam defendimur,
naturali diffidentia, munitioibus, propugnaculis, à
quibus etiam rara sunt damna, sed profecto ab ijs
quos amicos esse nobis putamus. ἰσομωία festi di-
es. ut apud Demosthenem καὶ ἑορταί. ubi Sa-
turnalia sic uocat. Cæterum de lege cuius hoc loco fit
mentio etiam ibi innuit ita. καὶ νόμος κελεύει μήτε
ἰδίᾳ μήτε κοινῇ μηδὲρ ἀλλήλους ἀδικεῖν ἐν τῷ
τῷ τῷ χρόνῳ, μήδὲ χρηματίζεσθαι ὅτι ἀρμὴ τῶν
τῆς ἑορτῆς ἢ. τὰς μὲν γὰρ ἄλλας βλάβας) Ita
habet hoc epicherema. Tanta est prauitas hominū,
ut ne sibi quidem ipsi fideles inueniantur, itaq; se
quoq; sæpenumero damnis, malis, morte afficiunt.
Non igitur tutum est illis credere. quam enim fidem
seruarent alijs qui sibi seruant nullam? cum unus-
quisq; naturaliter sibi ipsi maxime concilietur. Cæte-
rum quod de Samo memorat, ad hanc historiam per-
tinet. Lysander uictis terra mariq; deletisq; Athe-
nensium copijs, urbem obsidione cinxit. Cuiq; popu-
lus Atheniensis domitus maxime fame, omni spe au-
xilij destitutus, iam nullas pacis condiciones reijce-
ret, Samum tamen relinquere non dubitauit à Lacedæ-
monijs petere, ipsi suam iam ciuitatem non retinen-

H 5

tes,

tes, tum ita irrisi feruntur. Qui ipsi uos non potestis,
alios uultis tenere? inde inquit Plutarchus in Laco-
nicis apophthegmatis, natum est prouerbum. ὁρῶ αὐ-
τὸς αὐτὸν οὐκ ἔχει Σάμου δέλει. hoc est, Retine-
re qui ipse se nequit, Samum cupit. τί οὐρῶταρ τις
Φιλο.) Refutat quod poterat opponi. Ergo ne be-
nignitates quidem, neq; beneficia, neq; beneuolenti-
as approbabitur? Probabitur inquit, sanè in præ-
sentia cum ea quidem cautione, ut inconstantiam uo-
luntatum metuentes, nunquam curam cautionemq;
abijciamus. Nihil enim est inconstantius, flexibilis,
mollius uoluntatibus hominum. Locus de Oreste est
acceptus ex fabula Euripidis, cui titulus Orestes.
πλὴν δαλάσαρ) Aptissima similitudine docet, nun-
quam non præmetuenda mala etiam rebus secundis-
simis & maxime tranquillis. τὸσα δ' οὐκ εἶς) Ab ex-
emplis, similitudinibus, moribus, institutis, legibus,
ostendit non esse fidendum malis ac inconstantibus
hominibus. Quales quidem sunt uulgo omnes. quod
autem ait, τοὺς πολλοὺς, multitudinem intelligit.
& uidetur respexisse ad dictum Biantis, quod fertur
εἶ τῶ λείδης κακοὶ. ὡσὺ τὰ δειρία) Quid poterat
uenustius fieri, quàm hæc indicatio facta est occultæ
hominum malitiæ? simul autem refellit quod contra
poterat dici. Non apparere uerum esse, quod affir-
met omnes mortales per scelera & damna ingredi.
Nam possunt, inquit, facinus differre, uoluntate qui-
dem nunquam carent. similitudo autem plana est,
maxime si quis unquam nauem uidit. ἢ γὰρ ἐκ πῶ
λόγωρ

λόγῳ ἢ σωκθεΐας) Deinceps singillatim docet,
 nihil firmum esse satis ad perpetuam fidem in ulla
 coniunctione, siue ea sit consanguinitas, siue foedera-
 rum, aut iurisiurandi, siue consuetudinis, siue cuius-
 cunq; alterius conditionis. De Atreo & Thyeste uel
 ex Seneca notum est. De Eteoele & Polynice notū
 filios fuisse Oedipi, qui patre Laio per ignorantiam
 interfecto, & liberatis Thebanis à sphingis insidijs,
 matrem accepit uxorem pro premio, sororem Cre-
 ontis Iocastem, quæ quidem apud Homerum est Epi-
 caste. Ex qua prius quam matrem esse suam com-
 perisset, duos illos filios & filias Antigonem &
 Ismenam sustulit, quod & ipsum contra Homerum
 fictum est, qui dicit subito patefactas à Dijs immorta-
 lib. scelestas nuptias. Porro de fratrum istorum pu-
 gnis & prælijs, plenè sunt Thebaides. est & fabula
 Euripidis laudatiss. Phænissæ. Thesei, qui quidem
 Aegæi Atheniensis filius habitus fuit, ad Neptunum
 patrem genus refertur, a quo illas tres optationes
 acceperit, quarum tertiam in perniciem innocentis
 filij conuertit, ut est apud Euripidem Hippolito Co-
 ronigero. scribunt autem primum optasse reditum
 Minotauro peremto. Secundo ex inferis, cum quidē
 illo comes Perithoi descendisset. De Priamo locus est
 ιλ. ω. ὅσῳρ λέσθε ἄνω μακάρων ἔδοξεν ἐπιτὸς
 ἐέρχει, ἢ φρυγὴν καθυπέρθε ἢ ἑλλήων ὄντος ἀπει-
 ρων, ἢ ἢ σε γέρον τῷ λῶτῳ τε ἢ ἢ σίφασιν κεν ἄ-
 ὄα. Aerope uxor atrei fuit, quæ corrupta à Thy-
 este fatalem pecudem regni illi prodidit. Clytem-
 nestra

nestra Tyndari filia, uxor Agamemnonis, quæ illū
reuerſum à bello Troiano ſocio Aegystho adultero
interfecit ad menſam, quomodo bos ad præſepe ma-
ctaretur, ut poſtea dicitur. Sthenœa Prœti uxor,
quæ cum Bellorophontem non poſſet ad ſtuprum
pellicere, odio & ira incenſa accuſauit apud mari-
tum, quaſi ſe adortus eſſet uiolare. Prœtus Belloro-
phontem in Lyciam mittit cum literis, quibus per-
ſcribebatur regi Lyciorum, ut tabellarium perde-
ret. Itaq; obijcitur ille ingentib. & periculoſiſſimis
pugnis, quibus omnibus incolumis ipſe conſectis, pro-
bauit Lyciorum regi innocentiam ſuam. Qui quaſi
corrigenſ peccatum, filiam ſuam illi in matrimoni-
um & dimidiam regni partem dedit. 17. 2. Fœdus
perturbatum à Pandaro. 17. 3. De Clearchi interi-
tu & perfidia Tiſſaphernis ſecundo ἀναβάσεως.
Philippi dolofitas nota eſt, Qui tamen quamuis pro-
ditionib. libenter uteretur, proditores oderat. Atq;
ita amicis conſulebat, ut in ciuitatibus bonos ſibi ma-
loſq; conciliarent, ut ubi res poſceret uti illis, hiſ ab-
uti poſſent. Item celebre dictū de aſino auro onuſto,
expugnabile enim eſſe quantumlibet munitum ca-
ſtellum, quo illi accuſſus pateret. Lyſandrum uerſu-
tiſ. tradidere, Cui cum obiectum aliquādo fuiſſet, in-
dignas Hercule uerſutias et fraudes uideri, (uolebāt
enim Lacedæmoniorum reges Herculide eſſe) re-
ſpondiſſe fertur: Si quo non pertingeret pellis leo-
nina, aſſuendam & uulpinam. Plutarchus. Iam uul-
pem callidam ab Archilocho introductam alicubi
opinor.

opinor, ut apud Platonem, secundo πολιτείω, le-
 gimus, Archilochi uariam & callidam uulpeculam
 pone trahendam. Oraculum datum Glaucō Lacedæ-
 monio consulenti, redderet ne depositum, an abiu-
 raret, apud Herodotum est ἔξατοῖ huius sententiæ.
 Glaucē lucrum ad præsens uiolato iure petiit,
 Utile, depositumq; dolo retinere putatur.
 Perfidiā quid stulte times, quid sacra uereris?
 Quandoquidē & fidei seruans homo cōditur Orco.
 Sed iuris proles iurandi nominis expers,
 Crure manuq; carens fidci læsæ imminet ultrix.
 Impete consectansq; domum totamq; uolucris
 Periuri gentem dum perdat funditus omnes.
 Sed pietas felix est posteritate perenni.
 Ex quibus postremus uersus ἀνδρὸς δ' εὐόρκυ γε-
 νῆ μετόπιθερ ἀμείνω apud Hesiodum legitur.
 μεσαὶ μὲν ἀγοραὶ) Iuxta hoc Arateum. μεσαὶ δὲ
 δ' ἰὸς πᾶσαι μὲν ἀγῦναι μεσαὶ δ' ἀνθρώπων ἀγο-
 ραὶ μεσῆ δὲ θάλασσα, καὶ λιμνῆς. Herculem fabu-
 læ tradunt Euritum Oechaliæ regem capta urbe in-
 teremisse, cum filiam Iolem promissam, si filios ipsi-
 us sagittando uicisset, cupido et amore flagranti sub-
 traheret. huius in Trachinijs Sophoclis mentio fit.
 uersus autem est οδ. λ. Archilochum repudiatum à
 Lycambe notum est, similiter de uindicta. De Lycas-
 one filio Priami ιλ. φ. πᾶς γὰρ σοὶ πρῶτον πασᾶ
 μὲν δ' ἡμικτέροσ ἀκτιῶ. De Agamemnone οδ. λ.
 Sed mihi ab Aegystho mors est conscita meaq;
 Coniuge flagitij socia, qui me inter onustum

Mense

Mense sacra cibo, ut taurum ad praesepe cecidit.

Et paulopost.

Atq; ita proiectis manibus de uulnere mortem

Oppetij, tunc illa procul mea destitit uxor.

Nec saltem exhalanti animam componere uultum

Sustinuit, miseros oculos quæ conderet, inq;

Dextram ori ponens fauces aptaret hiantes

Et paulopost.

Proinde caue ulla suo te subdat foemina regno.

Nec quæ corde latent cuiquam fac ut omnia credas.

Sed quædam imperti, quædam & celare memento.

Detestatio mulierum apud Euripidem Hippolyto Coronigero. Hunc locum ita concludit, ut uniuersis cuiq; culpam ascribat, qui malum alterius fraude acceperit. ipse enim nō cauit inquit, atq; ita quod uidit obijci posse, quasi obiectū remouet. non inhumanam nobis & efferam quædam rationem uitæ se tradere, sed tutā & cautam, & ut ita dicam, cordatam. Tum enim maxime cum comitate hominū aut aliquo casu ad credendum sine discrimine alijs inuitamur periculum iuwendet. Quod egregia similitudine maris docet. ubi cum terra quasi raditur periculosiss. cursus esse solet. Cum undiq; pontus et undiq; cœlū, naufragia rara accidunt. De Hectore locus est ιλ. ω.

— ὁ δ' ἰδρῆϊν πολέμοιο,

Αὐτῷ τὰυρῆϊν κεκαλυμμένῳ εὐρέας ὤμους

σκέπηε τῶ ἰσῶν τε ροῖζορ κῆ δ' ἔπορ ἀκῶν τωρ.

Habes V. C. quod uoluiſti, paucularum horarū laborem, quod non commendationis cauſſa dico, quid enim

enim mereatur tale magni fieri, sed ne ubi nulla de-
betur, gratiam haberi mihi postulare uidear. Non
uolo tamen dissimulare, hoc scriptum per huius com-
mentarioli occasionem diligentius intuenti uisum
imperfectum esse. De quo tamen cum quid affirme-
mus non habeamus, licet existimet quisq; quod lubet.
Ceterum de authore hoc comperi, Prusaensem, siue
Prusaem Bithynum, periclitatum cum alijs philo-
sophis ac sophistis sub Domitiano, apud Traianum
uerò in summo honore fuisse. Scripsit autem
et historiam, cui fecit titulum
Getica. et de regno libros
et declamationes.

V A L E.

E R R A T A.

A ult. fac. 1. pro percontati lege percontanti.
B. 2. fac. 1. pro assentatorum, assentator. C. ult. fac.
2. pro τονῆς, γονῆς. Ibidem pro οὐχ ὁ, οὐτοι ὁ. et
pro καὶ δὴ, καὶ δὴ. Sententia autem ultima ita est
complenda. ἔχοντα, ἢ δὲ ὑβρις ὑπὸ τῷ κόρῳ.

F I N I S.

L I P S I A E

I N O F F I C I N A M. E R N E S T I
V O E G E L I N I.


M. D. L X I I.

1536 72

AB 153 672

X2203708





RÆCEPTA
TAE HONESTAE

AVDATAE, BREVITER ET
mode pronuntiata à septem
stantis. Viris, qui cum uno tempore
in Græcia uiuerent, & habiti

& uocati fuere

SAPIENTES,

Opera

Leonharti Lycij

Latine uersa & breuiter
explicata.

HIS

unctus est libellus Dionis Prusaensis
valde utilis & bonus, de non
temere credendo,

A

IOACHIMO CAMERARIO
uersus & explicatus.

Σοφία μόνη τῶν κτημάτων
ἀθάνατος.

LIPSIÆ.

M. D. LXII.

